

DISPUTATIO II.
PNEUMATO-
LOGIÆ,

Exhibens

PARTEM COMMUNEM
de Spiritibus,
Quam assistentia Trinunius, ex
concessione Amplissimæ Fac.
Philosophicæ.

Præsides

M. JUSTO BRAWEN,
Osnab. West.

proponit

JOHANNES BOLTENIUS
Stralsunda-Pom. Resp.

*Habebitur in Auditorio Majori 23. Februarij
horis à sept. matut.*

ROSTOCHIL

Excudebat NICOLAUS KILIUS, Academ: Typog:
Anno M DC XXXIX.

~~1 XXXIX~~

a. XIII. 32

~~CM. 40.~~

Coll. diss. A
13, 32

DISPUTATIO II.
PNEUMATO-
LOGIA.

PARTI COMMUNE
de spiritibus
Quam assistentia Trinitatis ex
concessione Amplissimi Fac.



M. JUSTO R. A. W. E. N.
Olav. V. eif.

JOHANNES BOLTEMIUS
Schallens. Rom. Resp.
Habebit in Auditorio Majori 27. Februarij
1691. h. e. s. e. m. e. n. i.

R O S T O C H I E
Fruenber. Nicolau Kilian. Academ. Typog.
Anno M DC XXXIX.

PNEUMATOLOGIÆ

Sectio Essentialis.

PARS GENERALIS.

Duobus momentis se tractatibus se absolvens, quorum prior essentialis, posterior extressentialis est: ille inquit Spiritus essentiam, ut rationem inferentem à priori, quæ hoc loco principii vices sustinet, evyat, adeoq; quid Spiritus sit absolutè ratione sua essentia, quid item respectivè ratione principii (uti barbarè dicitur) seu ratione causalitatis, monstrat; ibi definitio Spiritus sub esse spirituali hinc spiritualitas sub esse causali exhibentur; hic proponit attributa Spiritus communia, & illa considerat vel generaliter, quot sint, quid sint, & quotuplicia sint, nimirum quod quadam immediatè per rationem priorem (spiritualitatem) ipsam essentiam consequantur, alia verò mediatè mediantibus prioribus subjectum denominent; vel specialiter certas classes attributorum constituens. Quum enim alia immediatè denominent subjectum, alia mediantibus immediatis, hinc constituit aliam classem attributorum immediatorum, quæ sunt vel transcendentalia vel propria, aliam classem mediatorum, quæ ex prioribus tum transcendentibus tum propriis propullulant. Synopticè de his cum Deo per theoremata distincta agemus.

DISP. II.

PUBL.

Resp.

JOHANNES

BOLTENIO

Sunda-

POM.

I.



*S*piritus est substantia omnis materiae & mobilis corporeæ expers.

Subsectio

I. essentialis.

li.

Sicuti objectum definitionis, seu id quod definiiri potest est aliquid reale, dicitur enim *ὅτι οὐ μὴ ἔσθαι* & *ὅτι ἔσθαι* σημαίνει 1. Top. 4. 2 Post. 10. *Τὸ τί ἦν εἶναι* autem positivum quip-

piam denotare Metaphysici dum dicunt nullam rem essentiam seu quidditatem (hæc enim Synonyma esse palam est) ante existentiam habere, docent: ita quamlibet rem existentem talem esse quæ admittere possit definitionem nullum dubium esse potest: nulla enim datur pugna inter rem quamvis actualem & definitionem: Quemadmodum enim omnis res cognoscibilis est, ita & omni rei instrumentum Logicum generale, Definitionem puto, ad facilitandum actus mentis repertum applicari posse, si modo intellectus noster uniuscujusq; naturam, quantum ad explicationem

C

essentia

essentia requiritur, perspectam & cognitam habeat, nullatenus am-
bigendum. *Definitio* autem explicans essentiam per inadæquatos
conceptus, qui non tam à re ipsa quam ab imbecillitate intellectus
nostri fluunt, requirit *tum quandam rationem communem* in pluribus
inferioribus specie fundamentum habentem, *tum rationem propriam*
per quam res una ab aliâ distinguatur, quod Aristoteles citatis locis
innuit. Sive autem hi conceptus ex genere conceptuum prædica-
mentalium, sive supra sortem illorum evecti, id definitionem ut sic
non ferit, modo sint tales qui sint *γνώριμοι τῆς οὐσίας* & essen-
tia rationem explicent, quod ad rationem definitionis sufficere af-
ferit Aristoteles tum locis superioribus tum etiam 6. Top. 3. Hinc
ratio petenda, num objectum præsentis disciplinæ possit definiri:
quum enim sit è numero Entium nobiliorum, quumq; cognitio
nostra ad conceptum communem & proprium ascendere possit,
quum nobiliori huic objecto usum instrumenti generalissimi, ad
facilitandam cognitionem veritatis reperti non tribueremus? Da-
tum itaq; theorema legitimam definitionem Spiritus continere ejus
resolutio aperiet, ad quam nos accingimus. Præmoneo verò, non
hic agi de spiritu ut ejus essentia & existentia *πρωτῶς* probetur, id
enim Metaphysicæ, quæ est sapientia prima, munus esse, constat,
adeo ut quævis scientia objectum in superiori disciplinâ præcogni-
tum habeat; sed ut ex cognitione Spiritus provehamur in inquisi-
tionem rationis inferentis affectionum & hoc fine *tum quoad defi-
nitionis data subjectum, tum quoad predicatum quedam notanda.*
Circa subjectum ferè nihil occurrit, quod in prolegomenis non sit
explicatum, hoc tantum ad evitandam omnem confusionem dico,
quod *Spiritus* variè accipiatnr. Sumitur enim *improprie*, idq; ali-
quando generalissimè & indicat non tantum id quod vivit, quem-
admodum corpus sine spiritu mortuum dicitur, sed & rem inani-
matam, & hæc laxissima significatio locum potissimum habet in
Physicis ubi spiritus notat. 1. Spiritum naturalem, qui in corpore
de alimento gignitur, estq; vel vitalis, qui insitus aut influens, vel
non vitalis & vel est vapor crassus & impurus, qui inter concoquen-
dum ex chilo in ventriculo, vel epate resolvitur, vel est exhalatio
aut vapor ex visceribus terræ vel maris elevatus & in aëre hinc inde
vaga-

vagabundus qui dicitur, ventus, aura &c. 2. Præternaturalem, qui est causa multorum affectuum v.g. inflationis, rugitus ventris, singultus, doloris cholici, vertiginis, tinnitus aurium Epilepsia &c. aliquando generalius, & notat substantiam, quæ quidem in se materialis non est, nihilominus tamen à materiâ dependentiam dicit. quemadmodum omnes formæ Physicæ animales præter humanam dicuntur hoc modo materiales. *Propriè* sumitur & id vel specialiter pro substantia quæ ita est è materiâ sejunct aut ab eadem, non dicat dependentiam quæ acceptio est hujus loci propria; vel specialis & *ἄντρον ἁγιῶν* pro substantiâ immateriali, quæ simpliciter immutabilis est & notat Deum, *vid. Dn. Scheib. l. 2. Met. c. 2. n. 112. seqq.* *Cognitionem*, quod Spiritus dicantur actus, Intelligentiæ &c. ut & *originem* aliunde si lubet pete; pergo ad definitionis prædicatum. *Circa prædicatum* verò *genus* pariter & *differentiam* explico. *Genus est substantia*: eo enim, dum Spiritum aliquid esse asserimus, aut eundem substantiam aut accidens faciamus, necesse erit; non verò hoc; inhæreret enim alicui subjecto, (quum esse accidentis sit inesse) quod vel esset substantia materialis vel immaterialis, non prius quia accidens immateriale est ordinis superioris non agnoscens subjectum quod est sortis inferioris, non posterius, quia illa quæ increata est non est capax alicujus entitatis sibi inhærentis, quæ vero creata est non differt ab eâ quam quærimus tanquam accidens à suo subjecto, sed est ipsum subjectum *confer Suarez Disp 31. s. 3. n. 1.* Substantiam itaq; Spiritum esse relinquitur, eamq; non determinatè prædicamentalem nec transcendentalem, sed ab utrâq; præcisam: natura siquidem Spirituum determinata, non, est ad substantiæ vel prædicamentalis vel etiam transcendentis rationem; quum spiritus infinitus carceres prædicamentales, quos aliàs finiti & creati quidem non respuunt, rejiciat. Hanc verò substantiam indeterminatè sumtam esse genus spiritus probari posse hoc modo statuendum: *Quodcumq; pluribus inferioribus, specie differentibus sine fictione intellectus commune est, seu illa communitas sit prædicamentalis seu eminentis, id generis rationem habere potest: ratio superius adducta est ex Aristotele, qui id ad generis naturam requirebat, ut commune sit, num verò tantum communitate prædi-*

oamentali? vix puto, nisi insulse rebus supra prædicamenta collo-
caeis adminiculum Logicæ, quod in iis æquè intellectus noster re-
quirit, quum quam facilimè in iisdem aberrare possit, denegare ve-
lis: communitatem itaq; quamvis intelligi debere jubent res ipsæ,
modo communitas pluribus inferioribus competat: *Substantia*
pluribus inferioribus v. g. Spiritui & corpori communis est: tribuitur
enim verè tam spiritui quam corpori, quum sit de essentiâ cujusli-
bet: *Substantia itaq; generis rationem habere potest & porro quia*
Spiritui & corpori communis est hinc genus eorundem erit.
Differentiam constituit substantia materiae & molis corporeæ expers,
quæ verbis quidem negativis in defectu aliarum vocum exprimi-
tur, at nihilominus in re non negationem, sed esse positivum ponit.
Negat quidem primò spiritibus materiam quadrare, sive subjecti-
vam sive constitutivam velis, negat deinde corpoream molem iis-
dem convenire ut excludatur materia prima, quæ licet materiam
ex quâ non foveat, molis tamen corporeæ libera non est. At verò
hiscè negationibus subinnuit naturam habentem esse melioris con-
ditionis, quam quæ sordibus materialibus contaminata est, imò ta-
lem innuit cui parâ consortium materiæ repugnat, & quæ meliori,
quam nos verbis commodioribus exprimere nequimus, fruatur.
Timplerus citante *Dn Scheib. 2. Met. 2. n. 119.* differentiam spiritus
constituens, dicit spiritum esse qui ex materia non est productus:
At si hoc verum, quid de materiâ primâ, quid de terra dicendum?
Quare nec rei immaterialis naturam à productione ex nihilo de-
pendere, quia illa actio productiva, creationem puta, libera est nec
magis inclinatur ad materiatum quam immateriatum, nec rei mate-
rialis naturam à productione ex aliquo pendere, quia de hujus na-
turâ tantum est, ut intrinsecè ex principijs materialibus constet mi-
nimè verò ut extrinsecus ex materiâ præjacente producat, statu-
endum. Creatio enim quæ est actus omnipotentiae divinae, quem-
admodum inferius constabit non coarctata est ad producendum
immateriarum ex nihilo materiatarum vero ex præhabito, quum sic
limites omnipotentiae qui etiam nec rebus creandis intrinsecè com-
petunt, præfigerentur. Differentia itaq; adæquata Spiritus est
expers materiæ & molis corporeæ, cui si jungatur genus, oritur pro-
pria

pria ratio formalis Spiritus, quæ deinceps rationem inferentem affectionum exhibet. Largimur quidem principij causalis vicem illam non sustinere, imò nec principij essentialis propriè dicti, at nihilo secius causa erit ratione cognitionis nostræ unde vere demonstrantur affectiones, sed de hisce theoremate

2. *Principium affectionum est spiritualitas, quæ est ipsum esse spiritus abstractum.*

Dum enim spiritum materiæ & molis corporeæ alienum novi, spiritualitatem concipio tanquam ingrediens essentiam & abstractè eandem exhibens, quæ mihi attributorum ejusdem inquirendorum principium cognoscens est. *Principia enim alia esse notissimum est, illa hîc venari est piscari id aère hæc verò qui quærit & illa spiritualitatem dicit vix errat.* Licet enim hîc nulla videatur ratio quomodo tum attributa quæ quasi principiata sunt distinguantur à spiritualitate tum ob identitatem fluant ab essentia attamen nihilosecius & formalem diversitatem inter ea intercedere & illa fluere ex spiritualitate sicuti omnes affectiones ab essentia quæ cujusvis proprietatis & affectionis est intimum radicale dicente *Suarezio Disp. 2. Met. s. 4. n. 5.* firmiter statuendum. Jam verò ad principium cognitionis sufficere, ut si non aliter, distinguatur à principiato formaliter saltim, probatur alibi. Spiritualitatè itaq; principium attributorum esse præter ea quæ diximus evincit ratio communis *principiorum*, quæ consistit *in origine processionis alterius*; quapropter quæcunq; prioritatem sive ea sit naturæ, seu originis, seu temporis, cum consecutione sive causali sive non causali inferunt, illa principij rationem sive id sit essendi, sive cognoscendi obtinere certum est. Spiritualitas verò licet non prioritatem naturæ nec temporis habeat, nihilominus secundum ordinem moduli nostri cognitionis prior est, quæ deinde facit affectiones inde quasi manare, in quo consecutio ejusdem consistit. Cæterum quæcunq; superius de spiritibus dicta, huc dicta esse & trahenda putâ.

3. *Affectiones spirituum sunt conceptus, primum conceptum quidditativum spiritus consequentes, eundemq; denominantes.*

C;

Subsectio
2 Extraessentialis
Quod Generalis

Quod dentur affectiones spirituum præsupponendum priusquam ad
explicationem quæstionis *quid sint* progrediamur. Probant quidem
alij existentiam affectionum inde, quod quicquid de subiecto probari
possit id sit affectio: Verum quum & propriè dicta effecta possint
probari de subiecto, num hæc probatio pondus habeat, ambigo.
Dico itaq; cum alijs ad esse affectionis tria requiri, 1. *Distinctio-*
nem à subiecto, eamq; si non semper realem, ad minimum tamen
formalem. 2. *Denominationem*, ut subiectum denominet tanquam
aliquid posterius sive re, sive conceptu, subiecto. 3. *Reciprocationem*,
ut adæquetur & retrocurrat cum subiecto; quæ requisita,
quum in conceptibus quibusdam spiritus occurrant, non dubium
est, quin vera dentur attributa. Concipimus enim simplicita-
tem, actualitatem, perennitatem &c. ut conceptus distinctos à con-
ceptu spiritus, ita ut illorum rationes propriæ & formales non con-
tineantur in hujus quidditate; afficiunt item spiritum tanquam a-
liquid posterius, si non re, attamen conceptu; convertuntur deniq;
cum spiritu conversione quæ est suppositi, ita ut quidquid actuale,
simplex, perenne &c. si, id spiritus sit, & id, quod spiritus est, actua-
le est, simplex est &c. Cæterum essentiam quod attinet affectio-
num, eam aperiet nobis data definitio, in cujus resolutione atten-
dendum *ad subiectum & predicatum.* *Subiectum affectio* est, quod
quoad præsens sumi potest dupliciter, *primò* pro affectione diffe-
rente realiter à subiecto & dici potest prædicamentalis, *deinde &*
secundò pro conceptu afficiente rem per posterius & materialiter
eandem importante, quæ dici potest transcendentalis, & hanc affe-
ctionum distinctionem non esse fictam probant diversæ res, præ-
dicamentales puta & transcendentales, ubi illæ ut plurimum licet
non semper requirunt distinctionem realem subiecti & affectio-
num, hæc contentæ sunt ut rationis concipientis discrimen inter
objectum & affectionem intercedat, quod clarum est de Ente ejus-
que attributis unitate, veritate, perfectione &c. Prædicamentali-
bus remotis, quæ hic non usq; adeo occurrunt, laboramus circa
transcendentales non quidem propriè dictas, attamen κατὰ ἀνάγκην
ἀναγκαστικὰ appellendas. *Predicatum* duplici notione sistitur *materiali*,
seu generico, & *formali seu specifico*. *Materialis notio* explicatur per
conce.

conceptum quem communem habet cum spiritualitate, quam
conceptum Spiritum constituentem diximus; puta autem conce-
ptum verum, non fictum realem, non rationis. *Formalis notio ex-*
primitur reliquis definitionis verbis, quod primum conceptum spiri-
tus consequantur & denominent, qua innuit tam subjectum quod con-
sequantur & denominent, quod est spiritus quatenus jam ante defi-
nitus est, tum modum quomodo conceptum Spiritus consequantur &
afficiant, nempe quod per modum attributi afficiant & superad-
dant aliquid quod non præhabitum. Hinc constat affectionum
propria formalitas quæ resultat ex denominatione & consecutio-
ne quâ manifestatur (1.) *quod non sint idem quod Spiritus formaliter,*
siquidem affectionem distingui à subjecto ad minimum conceptu
necesse sit: minimè verò necessarium ut realiter distinguantur, ita
ut affectio peculiarem realitatem non præhabitam in subjecto ad-
dat eidem, quum hoc tantum de materiali harum vel illarum affe-
ctionum prædicamentaliū sit. Quapropter non putandum
affectiones spirituum ita distingui à spiritu, ut addant peculiarem
realitatem, distinctam ab esse spiritus: Sequeretur enim Spiritum
ut sic ex subjecto & accidentibus conflatum esse quod absurdum
esse testatur Spiritus summè simplex, imo & simplicitas spirituum
creatorum. Nihilominus tamen distinctionem subjecti & affe-
ctionum salvam manere asserimus; alia enim quam realis distinctio
inter subjectum & affectionem intercedere potest, formalem intel-
lige, per quam conceptus formalis spiritus distinguitur à conceptu
formali affectionum, ille primus est, hic primum consequens:
quod itaq; formale unius non est de formali alterius, quodq; præ-
dicata dentur inter subjectum & attributa contradicentia, esse nimi-
rum primum conceptum & non esse primum conceptum id di-
stinctionem evincit. Coalescunt equidem quandoq; attributum
cum subjecto, verum tum attributum non quatenus attributum
spectatur, sed quatenus essentiam involvens. Dupliciter enim
affectionem posse considerari notissimum, materialiter nimirum
seu concretivè, & formaliter seu abstractè: priori modo involvit
ipsam essentiam, cui posteriori modo contradistinguitur. (2.) *quod*
attributa aliquid sint realiter, seu quod sint realia, si enim implicans
mate-

mate-

materialiter ipsam essentiam realia sint, par est, imo attributa vera sunt, propterea quod nobis non cogitantibus spiritus sint actuales, simplices, perennes &c. at illa quæ præter fictionem & operationem rationis ita sunt ut veram quandam realitatem ponant, non tolerant, illa sane realia sunt. (3.) quod prædicentur extraessentialiter de Spiritu, non essentialiter, paronymicè, non Synonymicè. Non enim sicuti dicere licet Deus est Spiritus, Angelus est Spiritus, anima rationalis est Spiritus, ita & dico anima rationalis est actus, est simplicitas, est perennitas. Angelus est indivisibilitas, præ eminentia, Deus est intellectualitas, sed rectius, anima est actualis &c. Angelus est indivisibilis, Deus est intellectualis; proxima ratio est quod conceptus actus, simplicitatis &c. sint extra primum conceptum spirituum, quodque eundem consequantur; hoc verò paronymicam, si non prædicamentalem, attamen eminentem prædicationem causa genorunt Logici. (4.) quod adæquentur cum subjecto: quam latè enim sese extendit Spiritus, tam latè etiam affectiones, v. g. quodcunque actuale est, simplex est, id Spiritus est, & quidquid spiritus est, id est actuale &c. idque inde quod attributa materialiter ipsam essentiam Spiritus secum ferant. Non verò putandum quasi reciprocentur taliter ut nihil sit in conceptu unius quod non sit in conceptu alterius, sic enim converterentur eà reciprocatone, quæ est ratione essentia, sed quod tam latè pateat conceptus attributi quam conceptus Spiritus, id quod sufficit ad reciprocatonem quæ est ratione suppositi.

4. Affectiones Spiritus sunt duplices, Immediata & Mediate, illæ sunt quæ conceptum essentia spiritus proximè consequuntur, hæ quæ mediantibus immediatis spiritum denominant. Priores sunt vel Transcendentales, quæ sub ratione Entis spiritui conveniunt quales sunt: Actualitas, Simplicitas, Perennitas, Illocalitas, vel Propria, quæ spiritui sub ratione spiritus conveniunt, & uno nomine includi possunt, quod est Vita, quæ Intellectualitatem & Voluntatem sub se complectitur. Posteriores sunt ortæ vel ex transcendentibus, Præ eminentia ex Actualitate, indivisibilitas ex simplicitate,

estate,

Unitate, Immutabilitas ex Perennitate, Immobilitas ex Rationalitate, vel ex proprijs, unde Arbitrij libertas.

Affectiones seu attributa Spiritus alias primâ divisione solent dividi in affirmativas, quæ terminis affirmativis, & negativis, quæ negativis exprimauntur; verum quum hæc nomina potius quam rem attingere videatur, mihi quidem juxta methodum Rev. Cl. & Excell. D. Abr. Calovij Dn. Præcept. & Promotoris mei summo cultu honorandi, quam in sua Methodologiâ p. 156 seqq. exhibuit præsens partitio arridet, cujus fundamentum penes ipsas affectiones residet: *alia enim fluunt sine interventu* cujusdam à spiritu, *alia interventu priorum* Spiritum afficiunt. Unde etiam classium legitima constitutio constat, quæ ex abundanti vel sequenti etiam argumento probatur: *Quot dantur modi oppositi prædicatorum Spiritus extræssentialium, tot dandæ sunt classes: at vero duo modi oppositi tantum prædicatorum extræssentialium, puta Immediatorum & mediatorum.* E. Classibus probatis de singulis affectionibus probandum, quod afficiant Spiritum, quod commodè fiet, modo pateat quid unaquæque Spiritui superaddat & quod id, quod superadditur remoto omni extrinsecò competat Spiritui, & cum eodem convertatur. Superius autem dictum est, affectiones non esse realiter distinctas à Spiritu, adeoq; nihil esse realis nec positivi Spiritui superaddent: nihilominus autem ut subjecti & affectionum distinctio salva maneat necessitas efflagitat ut attributa aliquid quod formaliter non erat in subjecto eidem addat, idq; erit vel negativum vel affirmativum: illud Spiritum hoc vel illud non esse innuit, hoc aliquem respectum perfectionis in conceptu formali Spiritus non præhabitum appendit. Id enim relinquitur, quod quum nihil realis vel positivi addant, ut aliquid *rationis* vel *negationis* quod formaliter non erat in conceptu Spiritus ex eodem tamen fluebat & cum eo reciprocabatur, tribuat. *Negatio autem sub duplici ratione sistere potest esse Spiritus, vel quatenus essentia Spiritus spectatur magis intrinsecè ratione Entitatis* unde negatio potentia passivæ seu actualitas, & negatio compositionis seu simplicitas, ex quibus deinde promanant Præminentia &

D

Indivi

Indivisibilitas: propterea enim quod potentiam passivam Spiritus in se non habet, antecellit rebus alijs, adeoque præminet, quod verò compositus non est, hinc indivisibilitatem sibi vindicat, *vel quatenus* essentia Spiritus *ratione existentia spectatur magis extrinsecè* unde duratio & ubietas, illinc habent negationem defectus essentia seu permanentiam, hinc negationem ad essentia (liceat hoc uti termino) in loco Physico, ubi ex priori derivatur negatio mutationis seu Immutabilitas, ex posteriori negatio motus seu Immobilitas. *Affirmatio* seu respectus in eo consistit, quod quando Spiritum sub propria ratione spiritualitatis considero, ob ejus esse perfectum vitam arguam, quæ per Intellectualitatem & voluntatem sese exserit, adeoq; Spiritum vitam præditum concipiam: hæc verò Spiritum vita respectum quendam superaddit spiritibus, qui est perfectionis manifestans se per actus immanentes Intellectualitatis & voluntatis. Hinc deinceps quid Intellectualitas Spiritum, quid item voluntas & ex his orta Arbitrij libertas sit aperitur. *Porrò hæc negationes & respectus essentiam Spiritus supervenientes sine omni extrinsecò, essentia intrinsecè competere, & cum eadem recipiari de singulis probandum erit.* *Actualitas* utiq; & exinde promanans *Præminetia* Spiritui *tum sunt intrinsecè*, quia remoto omni extrinsecò Spiritus actualis est ob materia carentiam, quæ potentiam tanquam individuum comitem secum fert, adeoq; præminentiam hanc habet præ alijs Entibus, quod non contaminata sit imperfectionibus ortis ex potentiâ; *tum adæquata*: præter Spiritum enim non est reperire ullum Ens quod actuale sit: quapropter actualitas & inde resultans præminentia tam latè patent quam ipse Spiritus ut non detur Spiritus qui non sit actualis & sic præminet & viceversa. *Simplicitas & Indivisibilitas* eodem modo *& intrinsecè* sunt, quum Spiritus sit expers materia, adeoque veræ compositionis, & consequenter divisibilitatis tum actualis tum etiam potentialis: *Extensio* enim, eamq; consequens divisio sequuntur materiam, & quidem taliter, ut ubi hæc est, ibi naturaliter illa abesse non possit, & contra ubi non sit hæc, ibi nec illa consequi potest: accidens enim subjectum prærequirit: *& adæquatur*

æquatur

aequatur Spiritui; sicuti enim omnes hujus disciplinae affectiones materialiter ipsum subiectum involvunt, ita omne quod Spiritus est à simplicitate & indivisibilitate denominari potest, quod enim intimè rei competit, ita ut eam ab alijs distinguat, id etiam cum eadem recipiatur. Perennitati porro & inde propullulanti Immutabilitati idem competit: Intrinsecæ sunt, quia negatio defectus & mutabilitatis Spiritui non forinsecus adveniunt: quod enim Spiritus inesse permeneat nec suâ naturâ possit mutari ab intrinseco quopiam, id essentia Spiritus, quæ principium corruptionis non agnoscit, adscribendum. Reciproca sunt quod enim suâ naturâ in esse perseverat nec mutari potest id spirituale sit, & viceversa. Illocalitatem & Immobilitatem & intrinsecas esse, quum natura Spiritus quæ corpori immediatè opposita non possit in loco Physico esse, qui definiente Aristotele 4. Ph. e. 4. t. 41. est finis continentis immobilis primus, nec motui Physico, qui est actus ejus quod in potentiâ est quatenus est 3. Ph. e. 1 t. 6. subjacere & adequatas esse asserendum. Reciproce enim Spiritus denominatur à negatione loci & motus, ita ut omnis Spiritus illocalis & immobilis & omne immobile & illocale, hoc est quod nec actu moventur nec in loco est nec potest, Spiritus sit Vita deniq; ejusq; Intellectualitas & voluntas, & hinc orta Arbitrij libertas tam intrinsecæ sunt Spiritui, quum spiritum constituent intrinsecæ & ab alijs distinguant, quam adequata: quod enim vita vivit quæ se exerit per Intellectualitatem & voluntatem id Spiritus est & viceversa, quod Spiritus est id vivit vita quæ se per Intellectualitatem & voluntatem & ex his profluentem arbitrij libertatem exerit. Specialiora circa singulas affectiones de quibus seqq. theor.

5. Actualitas est attributum Spiritus quo potentia specialis passivæ expers est. Estq; summa quæ nullam nec agnoscit nec agnoscere potest potentiam passivam, sive propriè sive impropriè sumptam, vel sub summâ quæ veram potentiam passivam non habet.

Actualitatem primam affectionem primitate ordinis seu locationis constituimus, ad cujus nomen in antegressu præmo-

22
nemus id quidem cum plurimis alijs minus Ciceronianum esse
verum re urgente ob defectum accommodatioris appellationis
hoc extortum. Actus enim quum denominet Spiritum & qui-
dem per modum affectionis quæ à potentiâ describi debet,
Actualitatem extorquet. Quum verò actus, unde Actualitas,
variè accipiatur, quemadmodum apud Metaphysicos videre est,
quod nimirum alius sit signatus vel exercitus, alius essentiæ vel
subsistentiæ, alius primus vel secundus, alius formalis vel entita-
tivus, putamus *Actualitatem Entitativam* intelligendam, quæ ve-
ram *essentiam vel perpetuè existentem*, vel *è nihilo emersam* ponit,
eius formale hoc loco in negatione potentiæ passivæ consistit.
Non enim putandum Actualitatem hîc cuius potentiæ opponi,
sed passivæ: repetendum esse puto ex Metaphysicis quod *Poten-
tia sit duplex, Activa, quæ est vis & facultas non accidentalis, sed
radicalis agendi in aliud* (terminum latè sumendo, ut non semper
alietatem essentiæ vel suppositi, sed respectuum quandoq; dicat)
in quantum aliud; & Passiva quæ est vis patiendi ab alio &c. Hæc
potentia passiva ipsam formalem rationem Materiæ constituere
evicimus alibi, eamq; nihil aliud esse quam potentiam ex seu in
quâ aliquid fit, ut in sit: *Priorem* itaq; potentiam omninò Spiriti-
bus tribuimus, nec eam per præsentem Actualitatem excludimus,
posteriorem simpliciter præscindimus: nullum enim constituens
intrinsicè materiam, est ingrediens essentiæ Spiritus, prius
quum de potentiâ passivâ certum sit, hinc posterius per spiritua-
litate patet; hæc enim quum aliena sit à materiâ & alienissi-
ma erit ab eo quod eam constituit, puta potentiam passivam,
quâ exclusâ oppositum ponitur quæ est actualitas. Cæterum
potentia passiva si tam latè extendatur ut etiam *potentiam objecti-
vam*, quæ est, quâ aliquid ab agente naturali produci potest, &
obedientialem, quâ aliquid ab agente intellectuali producitur, di-
cendum erit quod *hinc Actualitas exsurgat duplex: Summa* nimi-
rum, quæ expers est omnis potentiæ passivæ, sive illa propriè su-
matur pro vi (puta reali & substantiali non accidentali quæ in
subjecto passibili non in agente sit) patiendi ab alio, in quantum
aliud, sive analogicè pro potentiâ vel objectivâ vel obedientiali,
& qui-

& quidem ita ut nec cum hisce potentijs consortium habeat, nec ullo modo haberè possit; *sub summa*, quæ quidem potentiã passivam propriè dictam non agnoscit & agnoscere nequit, obedientialem verò & objectivam potentiam, quæ tamen rationem veræ potentiæ passivæ non agnoscunt, quia non tam in subjecto quam agente vis illa residet, non omninò excludit. Non enim huic vel illi Spiritui repugnat ut aliquando sub potentiã obedientiali latitarit, hoc est, ut aliquando à Deo produci potuerit, quod de Spiritibus creatis manifestum est. Sicuti igitur prior Actualitas Spiritui Infinito, ita posterior finito competet. Coronidis vice cauterium addo, me non facere Actualitatem summam & sub summã divisionem usquequaq; exactam, quum potius videatur distinctio æquivoci in suã æquivocata Potentia namq; objectivã & obedientialis *ὁμωνύμως* potentia est passivã.

6. *Simplicitas est attributum Spiritus, quod essentiam indivisam Indivisibilem exhibet: estq; vel absoluta, quæ omnem excludit divisibilitatem etiam possibilem omnemq; compositionem, vel restricta quæ negat divisibilitatem & compositionem in genere corporum repertam.*

Simplex id dicitur quod est sine complicatione rerum diversissimarum, quodq; nec in simpliciora dividi potest, propterea quod ex rebus conflatis diversis non constet. Ideoq; *formale simplicitatis* in eo consistit, quod indivisibilitate omnem compositionem excludente fruatur, hoc est, quod in essentiã non agnoscit ea quæ separari ab invicem, statu naturali, vel dividi possunt. Fundata est simplicitas in unitate & potissimum indivisã indivisibili, quæ negat divisibilitatem, adeo, ut quod simplex tale sit quale nos h. l. intendimus, id unum sit unitate primariã quæ est Indivisa indivisibilis. Spiritum autem consideratum sub esse generali Spiritus simplicem esse id Spiritualitas statuminat, quæ negat materiam, adeoq; formam, quum illa *ἁπλῆς π* dicantur 2. Ph. 2. t. 36. & consequenter compositionem propriè sic dictam & ob hujus defectum divisibilitatem. Potest autem *presens simplicitas duplicem* considerationem sortiri *absolutam* unam quã

quã illi nulla divisibilitas, seu ea quæ posset cadere in spiritum, creatum, seu ea quæ corpori inest tribui potest, sed omnimode immunis est ab omni divisibilitate & divisione, restrictam alteram, quæ in genere Spiritus non agnoscit divisibilitatem, hoc est, quæ ex rebus divisibilibus materiã putã & formã non exurgit: prior Spiritui increato, posterior Spiritibus creatis applicare debet.

7. *Perennitas est attributum quo spiritus in esse permanet indefectibiliter. Estq; vel simpliciter indefectibilis, quã spiritus ita in esse permanet, ut nec initium nec finem agnoscat, nec possit. & dicitur æternitas, vel secundum quid indefectibilis, quã spiritus in esse, quod quidem ab alio accepit, ita permanet, ut suã naturã ab eo non possit deficere, & dicitur ævum.*

Solet hoc attributum Spiritus vocari Duratio stabilis, fixa, permanens, invariabilis; nobis perennitas dicitur, termino si absint aliena, accommodatissimo. Sumatur itaq; huc pro tali termino, qui continuum essendi tractum (sumendo te: minus latè) uti Scaliger *Ex. 359. s. 7.* loquitur, vel qui tenax & stabile esse, sicuti *Excell. D. Cloz. Diss. Pneum. 2. th. 60.* innuit & si applicetur præsentis negotio conceptui spiritus essentiali addat essendi permanentiam, seu indefectibilitatem. Essendi enim permanentia non limitata, constituit affectionem Entis, quæ dicitur Duratio, ea verò sub se tanquam latius continet essendi permanentiam indefectibilem. Quidnam verò sit essendi permanentia, & num differat ab essentiã realiter, num verò formaliter, de eo agunt Metaphysici, quare ne alienam metamus messem, illa jam tantum exin repetimus, dicentes, permanentiam in essendo nobis hoc loco esse ipsam existentiam ab esse suo planè non deficientem, eamq; realiter non differre à spiritu sed saltem conceptu: constabit id ex inde, si modo probaverimus perennitatem esse attributum spiritus, quod aperit nobis spiritualitas, quæ respuit materiam, omnemq; affinitatem ejusdem, quapropter etiam essendi defectum, finem seu carentiam non agnoscit: Omnis enim essentiã defectus vel interitus qui in naturalibus reperitur est

est à materiæ cum formis consortio: at ubi tale conjugium materiæ & formæ non datur, ibi nec dabitur discessus ab essendi permanentiâ; vel ubi non datur principium intrinsecum corruptionis, ibi nec datur finalis essentiæ carentia, sed ibi è contrario est essendi permanentia. Perennitatem itaq; quæ est essentiæ indefectibilitas Spiritui competere manifestum, at quo modo? num veluti quidpiam realiter ab eo differens? Minime: faceret enim compositionem cum Spiritibus realem, quæ simplicitati Spirituum *διὰ τὴν πᾶσων* repugnat. Differt proinde formaliter: involvit enim perennitas in conceptu suo quidpiam, quod adæquatè non involvebat conceptus Spiritus, quod est essendi permanentia indefectibilis, idq; tamen non est figmentum rationis, sed verè positivum quidpiam essentialiter Spiritui competens; Spiritus siquidem, etiamsi vel nos nunquam mentionem ejus faceremus, sed perpetuis silentij & inscitæ tenebris ejus notitiâ involveremus est & manet indefectibilis, seu sine defectu Spiritus. Sine defectu inquam, terminum accipiendo generaliter ita ut defectus, tum qui ratione terminante & post tum qui est ratione termini tantum post, hoc est defectus incipiens & finalis, vel finalis tantum intelligatur, sive is à nullâ potentiâ superiori inferri possit quum non sit, sive is jam non sit, nec ex suâ naturâ licet à potentiâ superiori absoluta, esse possit. Hinc *perennitatis diversitas*, quam in theoremate innuebam oritur, quod nimirum *alia sit simpliciter indefectibilis*, cui repugnat terminari, vel deficere, seu initium & finem habere, & vocatur æternitas, estq; solius Dei de quâ cum Deo in parte speciali; *vel secundum quid indefectibilis*, quæ est finalis essendi permanentia seu indefectibilitas: hæc enim initium sui esse quidem agnoscit, quod alteri debet, at finem suâ naturâ seu defectibilitatem non habet, quæ perennitas est Spirituum creatorum.

8. *Illocalitas est attributum Spiritus essentiam interminabiliter presentem denominans. Estq; vel Indefinitas quæ simpliciter essentia & presentia terminabilitatem negat, vel definita, quæ negat terminabilitatem presentia rebus naturalibus intrinsecam, prior repletiva, posterior definitiva dici consuevit.* Omnia

Omnia quæ sunt, alicubi esse asserit Aristoteles *4. Ph. 1. 7.*
Non itaq; ambigendum, num Spiritibus adscribenda sit ubi etas,
quippe quod ea sit affectio, tam latè patens quam Ens reale, actu-
ale. Hoc verò præsertim controvertitur, quale ubi iis vendi-
candum: Hac in re constat, spiritus non esse in *loco circumscri-*
ptivè, sive intelligas *circumscriptionem internam* essentia, quæ
partium quantitativè extensarum terminatione definitur, *sive*
externam præsentia, quæ est finis continentis primum immobile,
seu per quam res refertur ad locum sive actualem, sive aptitudi-
nalem. Circumscriptivè enim in ubi esse requirit ut essentia
finita in toto spatio, totiusq; partes singulæ occupare possint spa-
tij partes. At verò hæc omnia requisita Spiritui repugnant. Non
enim omnis finitus est in essentia, deinde nullus est in spatio vel
ubi ut illud occupet, hoc est ut repleat omnes spatij dimensiones,
ut juxta secum non posset ferre aliud ejusdem generis, sicuti id
accurate explicat *Dn. Calovius Divin. Met. Part. 1. c. de Ubiis: mihi*
p. 395. Esse enim hoc modo in spatio requirit naturam corpo-
ream, cui dimensiones trinæ competunt: deniq; non sunt in
spatio, ut partes singulæ respondeant, vel saltim respondere pos-
sint, singulis spatij partibus. Quomodo enim simplex quod nul-
lam admittit divisibilitatem adeoq; nec extensionem responde-
bit spatij partibus? Et, si radij solares non dissipant aëra ut hic eis
cedat, nec densatur in circumfusis partibus *Scal. Ex. 359. i. 5.* quid
quæso de simplicioribus dicendum erit. Illocabiles itaq; sunt
Spiritus, hoc est, non occupant spatium, nec à loco tanquam su-
perficie vel extremis ambiuntur. Nihilominus tamen Spiritus
quia sunt, sunt in ubi, nempe interminabiliter essentiam sistendo.
Quum enim prædictos terminos non admittant, relinquitur
quod interminabiliter sint in ubi, seu quod essentiam præsentem
exhibeant sine ulla terminatione extrinsecâ, promanante à loco.
Interminabilitatem itaq; formale Illocalitatis dicimus, quæ nobis
tale quid exhibet, quod terminos extraneos claudentes ob natu-
ram contrariam non agnoscit; quæ quum pro diversâ conside-
ratione essentiarum Spiritus diversa est: *alia enim negat termi-*
nos essentia & præsentia, quæcumq; tandem illi sint, *alia verò negat*
tantum

tantum presentia terminos quales corpori congruunt; hinc diversa etiam oritur *Illocalitas, Indefinita & Definita*, prior ubi etas repletiva, posterior Definitiva dicitur.

9. *Vita est attributum Spiritus, quod per actus intellectualitatis & voluntatis perficit essentiam.*

Hoc esse attributum proprium Spirituum, quod ex ipsa essentia promanat, superius probatum est, nunc ut rem in pauca contrahamus, quam alij diductè proponunt, paucissimis rationem vitæ Spiritualis explicabimus, quod fiet accommodè, si prius *definitum* de hinc ipsam *definitionem* resolverimus *Definitum* *Vita* est, quod latè se extendit, & sumitur vel *impropriè*, & notat quamvis facultatem effectivam quæ quovis modo motum habet, quomodo aqua dicitur vivere, vel argentum vivum. Sic etiam motum vitam esse asserit Aristoteles 8. *Ph. c. 1. t. 1* ignem vitam habere 2. *Meteor. 2.* vel *propriè*, idq; vel *sensu Physico minus accommodatum* pro subjecto ipsius vitæ, quæ est anima 2. *de an. c. 4. t. 36. 37.* tum pro duratione animæ in corpore lib. de resp. c. 8. tum deniq; pro facultate animæ vitaliter operandi, *accommodatum* pro unione animæ cum corpore *Scal. Ex. 102. f. 5.* Hæc verò vita alia est *vegetativa*, alia *sensitiva*, alia *rationalis*, ubi posterior vitæ gradus includit semper priores, ijsq; perfectior est, de quibus in Psychologia. Hoc verò observandum quod præter alios notat Suarezius *Disp. Met. 30. f. 14. dis. 7.* In *modis vitæ* quæ in Creaturis reperitur *duo posse considerari, unum* quod existentes in suo statu sese actuent vel aliquomodo sese perficiendo, vel in seipsis alia representando per cognitionem, vel in ea tentendo per appetitum perfectum, *alterum* quod hæc afficiant per veram causalitatem & motum, quæ seipsa movent proprio motu, vel saltem mutatione perfectivâ &c. *Prius* perfectionis est, & nullam includit vel supponit imperfectionem, nisi quatenus includit posterius &c. *posterius* imperfectionem arguit &c. hæc ille, confer *Thomam sum. p. 1. Q. 18. art. 3.* vel *sensu Pneumatico*, idq; *communiter & sic* notat perfectionem ab intrinseco proficiscentem *Mendoza Disp. 3. de Anim. 4. f. 1 §. 3.* veluti *Aristoteles 8. Ph. c. 4. t. 29. 3. de anim. 612. t. 14.* vitam esse principium sese ab intrinseco movendi & *pro-*
E *prio*

prie notatq; actum perficiendi se per intellectualitatem & voluntatem, quæ acceptio missis alijs hoc loco quadrat. Num autem hæc vita Spiritibus competat, vix puto indigere probatione: Removeantur modo imperfectiones quæ vitæ in animatis corporis inesse solent ob materiam, motum puta, accretionem, nutritionem, sensationem, decretionem &c. & tum libere id quod in vita perfectionis est tribue Spiritibus, propterea quod Spiritus summum perfectionis gradum Entitativum habeant, adeoq; non carere possint ullâ perfectione reperta in Entibus inferioribus. Hinc Suarez supra rectè distinguebat inter perfectiones & imperfectiones vitæ, priores etiam Deo posse tribus assererat. Adde quod Spiritualitas non possit esse sine vitâ, utpote quod sic deesse id per quod Spiritus actuatur intrinsecè. *Definitionem absolvis materiale*, quod est attributum esse: Quamvis enim à parte rei sit ipsa essentia, quemadmodû de plerisq; affectionibus id planû est, nihilominus tamen quoad nostrum modum cognoscendi primum conceptum Spiritus consequitur, & *formale* quod est perficere essentiam actibus intellectualitatis & voluntatis. Perficit verò essentiam, non tanquam superveniens; esset enim vel substantia adeoq; adhuc nobilior essentia quam Spiritualis, quod repugnat, aut accidens, & sic faceret compositionem, quod simplicitas non admittit; relinquitur itaq; quod perficiat ejus essentiam tanquam eidem intrinsecum, & dicitur *actus*, intellige non *accidentalem*, sed *substantialem* non tamen realiter ab esse distinctum, cumq; non *transseuntè* sed *immanentè* qui ipsa essentia vel de essentia spirituum sit. Actus autem illi qui perficiunt essentiam & formaliter vitam constituunt sunt *intellectualitas* & *Voluntas*. *Intellectualitas est actus per quem Spiritus objecta proportionatæ modo convenienti cognoscunt*: hanc competere Spiritus probant alij, sicuti videre est apud Thomam *part. 1. sum. q. 14. a. 1.* Suarez *Disp. 35.* quod immateriale sit intellectuale, ratio est, quod intellectio tanquam actio præsupponat nobilissimam formam, quæ est immaterialis, vel spiritualis, quidquid igitur immateriale est illud intellectuale erit, quod & ex Aristotele probari potest qui *2. de anima s. 17. s. 124* propterea plantas non intelligere quia materias

materiae immerse sunt, Sicuti igitur materia obstat intellectua-
 litati, ita hanc arguit immaterialitas. De hinc attende & ad *subje-*
ctum definitionis, quod est *intellectualitas* quæ distinguitur ab *in-*
tellectione ut actus primus à secundo: Illam hoc loco volumus,
 quod attributa à potentijs debeant describi, & ad *predicatum* in
 quo Genus absolvit *actus*, isq; uti dictum non distinctus ab essentia
 realiter, non superadditus eidem, nec transiens, sed ipsa essentia
 inadæquatè concepta. *Differentia specifica* desumitur ab *obje-*
cto & modo: illud requirit intellectus & objecti proportionem; hic
 modi cum re congruentiam & adæquationem. Hinc alia ratio
 est *Intellectualitatis infinite*, alia *finite*, illa omnia objecta modo
 excellentissimo cognoscit, hæc certa objecta certo modo cognoscit
 plura inferius. *Voluntas est actus per quem Spiritus objecta modo*
debito cognita velle vel non velle potest. Probatur voluntas de spi-
 ritibus per Intellectualitatem: Intellectus enim in cognitione
 non acquiescit, sed rem cognitam appetit appetitu vel desiderij
 vel complacentiæ; at appetitus nihil aliud est quam voluntas, per
 quam rem cognitam Spiritus volunt vel non volunt, Cætera
 quæ de Intellectualitate dicta huc recurrunt.

10. *Præeminentia est perfectio Spirituum, quâ natu-*
ram & conditiones corporum transcendunt. Et est sicuti
Actualitas vel summa, vel sub summa: illa quæ non tan-
tum perfectionem corporum sed & perfectionem omnium
Creaturarum tam existentium quam possibilium excedit.
hæc quæ conditiones & naturam corporis post se relinquit.

Post affectiones *immediatas mediata* subjungendæ. Inter
 quas primò sese offert præeminentia ab actualitate Spirituum
 proveniens: quod enim ita actuale est ut excludat potentiam
 tum veram passivam tum eam quæ obedientialis & objectiva
 dici solet, id eo ipso multis parasangis rebus materiatis anteit, præ-
 fertim quum essentiam habeat in se per identitatem omnimodam
 essendi roboratam & firmatam, hinc magis ad unitatem appro-
 pinquat & sic ad maximam perfectionem, quum quo magis
 quid, unum eò magis perfectum: Et hoc est quod perfectionem

Proximum genus Præminentiae statuerimus. Puta autem perfectiorem essentialem non accidentalem, eamque talem, quæ & omnium creaturarum & creaturarum corporearum conditionem essentialem antecellit, cujus fundamentum identitatem essentialem facimus. Non enim arbitrandum cum nonnullis id præstantiorem obtinere essentialiam adeoque tenaciorem, quod compositam ex materiâ & formâ agnoscit: quemadmodum id enim ex divisibilibus, si non actu, attamen potentiâ conflatum est, ita magis ab unitate adeoque à perfectione Entitativâ recedit. Præminet igitur id, quod subterfugit materiæ consortium, ac diversimode. Quædam enim non tantum eo pacto, quod potentiam nullam agnoscant, sed & quod omnium creaturarum tum existentium, tum etiam possibilium perfectionem præhabeant, quod soli Spiritui independenti competit. Quædam in eo excellentiam habent quod non sint contaminata vera potentiâ passivâ (vera inquam: potentiam enim obedientialem & objectivam jam supra removimus) adeoque perfectiones essentialis in se firmata possident.

II. *Indivisibilitas est attributum quod spiritus essentialiam in partes alias atque alias secari posse negat: hæc alij πρῶτως, alij δευτέρως competit.*

Indivisibile tripliciter sumi potest. 1. Ratione essentialis. 2. Ratione partium intensivarum. 3. Ratione partium extensivarum, ut videre est Pneum. Diss. 2. th. 43. Clotz. Nos in presenti agimus de ultimâ accep. ione: priores enim omne Ens participat, si excipias qualitates. Illam itaque affectionem Spirituum arbitramur, eamque mediatam ex simplicitate manantem, quæ essentialiam in partes secari posse negat. Divisibilitas enim quam nos à Spiritu remotam volumus, præsupponeret extensionem, quæ dicitur formalis ratio ipsius quantitatis: at deficiente quantitate quæ materiæ comes, perpetua est, non potest non deesse extensio, adeoque consequens divisibilitas. Hæc verò quum de spiritibus sint certissima, cujus veritatem confirmat simplicitas, quæ excludit materiam, hinc etiam consequentia materiæ excludi necesse est: sublato enim principali, accessorium tolli necesse est. Denominat

Est autem *Indivisibilitas* primario Deum, cui per prius competit, adeoque modo absolutissimo; per posterius vero & secundario Spiritus creati dicuntur indivisibiles: possident enim indivisibilitatem sed participatam ab alio.

12. *Immutabilitas est attributum, essentiam Spiritus nullis mutationibus subjectam exhibentem. Estque vel absoluta qua quamvis excludit mutationem, & restricta, qua mutationis corporae experta est.*

Synonymum Immutabilitatis videtur esse Incorruptibilitas, quum in re idem dicant, quare sub nna hac affectione commodè poterit tractari. *Mutatio* autem dupliciter accipitur 1. pro ea qua ab essentia intrinsecè pervenit, & vocatur intrinseca & Physica. 2. pro ea qua omni creato à potentiâ divinâ absoluta obtingere potest: de priori potissimum sermo est nobis, ita tamen ut & posterior suo modo non excludatur. Quando itaque essentiam Spiritus negamus mutabilem, tum id intendimus Spiritum non agnoscentem sua essentia quidquam quod causa mutationis defectus & interitus esse possit, aut spiritui omnem prorsus mutationem præsciendam esse. Hanc verò immutabilitatem adstruit ipsa perennitas, quæ Spiritum indefectibilem exhibebat: Quodcumque autem non agnoscit defectum essentiae, idem nec mutationem agnoscere poterit, quum maximus defectus sit mutatio essentiae, quæ non nisi in corporibus mutationis principium in se foventibus, reperitur. Et sicuti mutatio Physica nullis spiritibus competit, ita & descendendo ad species mutationis augmentationem, diminutionem &c. statuendum erit. Duplex superius data mutationis acceptio duplicem facit Immutabilitatem, alterum qua non tantum essentiae indefectibilitatem intrinsecam sed & extrinsecam ob simplicem essentiae indefectibilitatem, alteram qua intrinsecam mutabilitatem supercilio renuit, hoc est, quæ radicem mutationis non fovet per quam vergat ad ullam mutationem.

13. *Immobilitas est attributum Spirituum motus Physici ignarum adstruens. Absoluta alia est, alia conditionata.*

Mobile id dicitur quod recipit perfectionem, quam motus, qui locum & tempus Physicum postulat, confert, quemadmodum id late docet Aristoteles *lib. 3. 4. 5. Phys.* Motum verò esse actum mobilis in potentiâ quatenus in potentiâ, hoc est, quatenus nondum perfectionem, per motum acquirendam possidet *3. Ph. 1. t. 6.* docetur. Ubiq; itaq; nec subjectum, nec ejus principium, nec requisita ejusdem sunt, ibi res à motu vel mobilitate denominationem sortiri nequit. Jam verò de Spiritu sic se rem habere extra omnem dubitationis aleam positum est: non enim ibi subjectum motus, materiam vel corpus puta, non ibi principium, motus actus nimirum qui à Spiritu alienus ob simplicitatem, non ibi requisita ad motum necessaria nempe locus, quum is sit affectus corporis, tempus quum non sit in tempore & si quæ sunt alia. Immobile verò *aliquid dici potest dupliciter 1. quod propter immensitatem & ubiuitatem nullatenus moveri potest, quod Deo tantum tribuendum. 2. Quod licet ubi varietur attamen de motu Physico ob illocalitatem, imò & naturam intrinsicè repugnantem nihil participat, sed planè motu Physico immobile est, quod Angelis & animæ rationali adscribendum.*

14. Arbitrij libertas est attributum Spiritum posse, vel non agere, denominans.

Hanc affectionem mediatam eamq; ultimam Spiritus constituimus. Mediata est; hæc enim ex attributo proprio, vita nimirum, vel si mavis Intellectualitate & voluntate derivantur, id quod ab alijs longius probari solet, nos ut rem contrahamus dicimus quod *quidquid intellectuale sit & voluntatem habeat id prædictum sit arbitrij libertate*, ejus rationem damus duplicem, primò quod quæ naturâ agunt, agant sine ratione, sine consilio sine deliberatione, sine judicio adeoq; necessario, ita ut non possint aliter quam sic agere nisi impediuntur, hujus rationem in eo reside-re puto, quod destituantur voluntate & intellectualitate: è contra itaque quæ voluntatem & intellectualitatem præhabent illa posse agere & non posse statuendum. Cui *accedit secundò*, quod Arbitrij libertas s. agendi libertas in actu primo sit ipsa voluntas quemadmodum videre est apud *Mendez Disp. 15. de anima*
Dn.

*Dn. Scrib. l. 2. de an. sep. quod si id verum, uti verissimum, verè
etiam spiritibus arbitrij libertas adscribenda, quæ eum agere
posse & non posse asserit. Quod intelligendum non tam de li-
bertate contrarietatis, quam contradictionis.*

Πορισματα.

1. Spiritum definiti posse certissimum est.

Definitionem quidem aliquid compositionis arguere cer-
tissimum est, nec quisquam negare potest, at rationis concipien-
tis, non realis. Compositio verò rationis nullam rei importat
imperfectionem, sed intellectus defectum arguit, qui rem unam
unico conceptu plenè & planè penetrare nequit. Quapropter in
re simplici partitur quasi id quod est de conceptu essentiali, ab
eo, quod est de extræssentiali, & sicuti illa partitio rei intrinsecè
non convenit, sed ab intellectu nostro est, ita & compositio nulla
nisi rationis. Hinc conceptum alium esse Synonymicum alium
Paronymicum dicit intellectus. Quum autem tum iste, tum hic
sub diversis conceptibus repræsentari possit, ille sub communiore
& priori, ubi prior conceptum genericum posterior specificum
exhibet, hic ut attributorum distinctio à se invicem & à subjecto
monstratur, liquido constat hanc compositionem quæ rationis
non fingentis sed concipientis est, tum nullam rei tribuere im-
perfectionem, quia in objecto hi conceptus planè sunt ijdem, ita
ut un⁹ nec sit, nec esse possit extra rationem (rei) alterius, imò quod
compositio rationis tantum sit denominatio extrinseca nullam
mutationem in subjecto, quod in se compositionem rationis
non habet, arguens, tum & h. l. obtinere posse ubi de objecto
simplici & de se quidem impartibili Intellectus noster format
(non fingit, fundamentum enim in re præsupponit) alium con-
ceptum Synonymicum quem in latiore & restrictiore partitur
unde definitio quæ ex communiore & restrictiore constat, exsurgit
alium deinde Paronymicum, qui naturam attributorum mani-
festat. Ubiq; itaq; conceptus communis seu genericus &
specificus seu differentialis, datur ibi definitionem subsequi ac
dari posse non ambigendum. Hic ubi de Spiritu agitur dari illos
evicimus, E. & hæc,

2. Inter

2. *Inter Spiritum & corpus nulla est communis participatio.*

Intelligo id 1. de Spiritu tum in suppositione simplici, hoc est quatenus Spiritus est, tum in suppositione personali, id est de omni Spiritu. 2. quatenus opposita sunt, non quatenus unum genus participant, sic omnino impossibile est, ut id quod unum est possit esse alterius, esset enim Spiritus vel corpus & non esset, quod primam involvit contradictionem. Quidquid igitur corpus quatenus corpus est, id Spiritus non est, nec esse potest. Quum itaq; corpus ob materiam quantum divisibile mutabile, locabile sit, ob formam augmentum & decrementum patiatur, sicuti & alias qualitates, illa omnia Spiritui repugnabunt, quum impossibile sit oppositas species posse unam specificam differentiam participare. Hinc quum quod corpus est, Spiritus non sit hujus nostrae cognitionis via potissima & frequentissima nobis aperitur. *Duplicem viam esse notissimum est θετικὴν* seu positivam unam, *ἀρνητικὴν* seu negativam aliam, priorem acquirimus per abstractionem praecisivam, posteriorem per negativam, & sic quum rem cognoscimus remotione eorum quae eidem non competunt ubi quidem termini quoad nos sunt negativi, quae tamen quoad rem in re verè aliquid ponunt quod ut nos terminis affirmativis & accommodis efferamus, non habemus: paucis: formale est negatio, fundamentale est id quod negatione intenditur.

3. *Spiritualitas est ratio inferens à priori affectionum.*

Non dari hinc principia causalia toties jam dictum, neq; id de natura scientiae esse superius in Prolegomenis evicimus: sufficiat si detur ratio quaequam superior affectionum, quam spiritualitatem esse assertum imus, quum per hanc primitus immediata attributa Spiritus demonstrantur; quod enim Spiritus actualis simplex, perennis &c. sit, spiritualitas demonstrat. Unde itaque immediate & proximè fluunt & demonstrantur affectiones, id ratio emanandi superior sit, oportet: Ex spiritualitate &c. E Nec quidpiam efficiet qui dicet spiritualitatem non differre à spiritu, adeoq; nec illam hujus esse posse rationem inferentem attributorum

torum

torum. Subjectum enim & principium s. rationem inferentem à priori necessario inter se differre debere tanquam requisitum, necessarium nec ipse Zabarell. lib. de tribus Præcog. statuit, quin subjectum basin omnium substratorum agnoscit, quin imò ad principia requirit, ut exinde fluant affectiones, minimè verò meminit alicujus distinctionis. Hoc quidem certum, principium & id quod à principio est non debere in uno conceptu coincidere, sed quid id ad præsens, ubi subjecti & rationum à priori differentiam inquirimus, non verò rationis à priori & affectionum, & illam & hanc, si non quoad rem, attamen quoad cognoscendi & concipiendi modum nostrum differre arbitramur certissimè.

4. *Affectiones Spiritus reales sunt, & vera; minimè tamen à subjecto realiter distinctæ.*

Patet utrumq;: reales enim sunt tum quod omne attributum πρᾶγματικῶς sit ipse Spiritus, ideoq; non potest non esse realis, quod in specie de omnibus uniuscujusq; attributis patet. In Deo sanè nihil est quod non sit ipse Deus, in Angelis & animà rationali nihil quod non arguat & importet ipsum esse Angeli & animæ rationalis, tum quod citra mentis fictionem nobis non cogitantibus verè aliquid ponant. Etiam si enim nos non cogitemus Spiritus esse simplices indivisibiles, perennes &c. non tamen propterea illi cessant tales esse, quod manifestum indicium realitatis ponit. *Distinctè verò non sunt à subjecto realiter*, quia materialiter ipsum esse Spiritus unaquæq; importat, quod ne utquam faceret si realiter ab illo distingueretur. Adde quod compositionem realem Spiritui & omni Spiritui inferrent si realis distinctio affectionum à subjecto assereretur, quo tamen contra naturam & spiritualitatem Spirituum esse clamat veritas.

5. *Omni Spiritibus affectiones tum mediate, tum immediate competunt.*

Quilibet enim Spiritus cognosci potest & debet, si non cognitione comprehensivâ, at apprehensivâ, quare de quolibet concipit intellectus noster tum conceptum essentialem tum extraessentialem, hunc ut adæquate perspiciat & percipiat dispescit in plures, ita ut alios mediatos faciat, alios immediatos. Hinc alias affectio-

F

nes

nes Dei dicit esse immediatas, quæ ex conceptu primo ipsius Dei proximè proveniunt eosq; partitur tum in eos qui proximè ex esse, tum qui ex esse Spirituali fluunt, mediatas alias, quæ ex prioribus præsuppositis derivantur, post hæc unamquamq; adplicat, Deumq; simplicem actualem perennem esse probat. Idem est processus quoad Spiritus creatos Angelum & Animam rationalem, adeo ut affectiones h. l. datæ tam Deo, quam Angelis & animæ rationali competant, Deo quidem secundum excellentiam, ideoq; πρῶτως, Angelis verò, & animæ rationali suo modo δευτέρως καὶ ἐπιμένως.

6. *Datis requisitis demonstrationis datur vera demonstratio.*

Quum in prolegomenis dictum sit, Pneumatologiam esse scientiam non verò talem quæ per causalia peincipia propriè sic dicta de subjecto demonstrat affectiones realiter distinctas, sed quæ per rationem à priori attributa conceptu distincta de subjecto probet, consequens erit non dari ubiquè in Pneumatologia ejusmodi demonstrationes cujus *medius terminus*, (qui est causa efficiens affectionis subjecti & rationem exprimit, quæ & unde affectio subjecto conveniat) semel cum *majori termino*, (qui sit propria affectio, id è Physica, vel effectus proprius cum distinctione ejusdem reali à subjecto suo) semel cum *minori*, (qui est subjectum quæstionis demonstrandæ, & quidem tale quod sit causa efficiens necessaria alterius realiter distincti ab eo, estq; semper de quo demonstratur affectio vel effectus) conjunctus efficiat demonstrationem, sed potissimum hic occurrere demonstrationes, *quæ medium terminum habent*, (qui sit ratio à priori) & semel junctus cum *majori* (qui est attributum non re semper, sed ut plurimum ratione à subjecto differens,) semel cum *minori* (qui est objectum sive intra, sive supra sortem rerum prædicamentalium e-vectum, de quo probantur attributa) elicit *conclusionem* firmam, stabilem, infallibilem, certam, & necessariam. Ubi itaq; omnia & vera & ad demonstrationem ut sic, non verò ad hujus vel illius demonstrationis rationem, sufficientia dantur requisita, ibi datur vera demonstratio: Prius toties in superioribus probatum. E. poste.

posterius negari nequit. Exemplo sit hæc quæstio : Num Spiritus sit immaterialis, asseritur, medio termino desumpto à spiritualitate tanquam ratione à priori, quem quum semel cum majori (immateriale esse) semel cum minori (Spiritum esse) combina- veris, infallibiliter, certo & necessariò concludes spiritum immaterialem esse. Eodem modo si porro ex immaterialitate Spiritus demonstretur Intellectualitas & sic deinceps res sese habet, adeo ut qui ambigat dari demonstrationes veras, ambigit sudo cælo lucere solem vel stellas.

7. *Nullum actuale potentiam passivam agnoscit.*

Intellige 1. *actuale* illius cujus mentio facta est in Theorematibus. 2. *potentiam* non æquivoce dictam puta obedientialem vel objectivam, quæ non essentiam participant potentia sed nomen, sed *proprie dictam potentiam eamq; passivam* : hanc autem potentiam passivam nulli actuali competere, vel etiam inde constat quod sint oppositæ species, quæ eandem differentiam specificam nec simul participant, nec possunt. Nulli inquam *quod verè actuale est* competit, seu illud sit *actuale purissimum* & ipsa actualitas, quippe quod ipsi neu vis patiendi ab alio in quantum aliud tum ob spiritualitatem, tum ob infinitatem ullatenus competat, neu posse ab agente vel naturali vel intellectuali produci. Apage te itaq; Plini cum tuâ blasphemâ sententiâ quam foves *lib. 2. Nat. Hist. c. 2.* dicendo Deum non omnia posse quia in Deum non cadat potentia passiva, moriendi, mentiendi &c. Non enim potentia ista passiva perfectionem dicit sed maximam imperfectionem, quæ tantum abest ut Deo nostro gloriosissimo tribuatur, ut potius nec possit ob purissimam actualitatem nec debeat ob infiniti numinis majestatem ; seu demum *sit actuale participatum* : licet enim id aliquando subjacere potuerit agenti intellectuali, nihilominus tamen vim & facultatem patiendi ab alio suâ naturâ, non loquor de potentia Dei eaq; absoluta, ne utiquam agnoscit. Ut erius ob negationem potentia passiva excellentia rei actualis aperitur : quum enim potentia passiva quædam impotentia, imo ferè maxima sit, necessum erit rem eandem non possidentem præstare illi quæ subjacet potentia passiva, ut merito

ritò

ritò explodendi sint illi qui disputant naturam corporis præstare
essentiæ Spirituum; verùm sententiam illam dixisse & indicasse,
est refutasse.

3. *Simplicitas indivisibilis excludit omnem composi-
tionem.*

Realem autem qualis qualis illa tandem sit intellectam cu-
pinq non rationis compositionem: Simplicitem vero tum indepen-
dentem indivisam indivisibilem, tum dependentem indivisam indivi-
sibilem, quarum ista Spiritui independenti, hæc dependenti compe-
tit. Urgeo id 1. *Contra Patrum nonnullos, Tertullianum Augustinũ
Basilium, Bernhardum aliosq, asserentes Angelos esse corporeos, seu
constantes corpore subtilissimo: At quomodo simplicitas omnẽ
compositionem quæ realis est, excludens, stabit cum naturã cor-
porum cujus intrinsecum est dependere à principijs internis com-
ponentibus materiã & formã? Num substantia gaudens simpli-
citate indivisibili evadet substantia divisibili simplicitate constãs?*
2. *Contra nonnullos alios, Angelos substantias naturales asserentes,*
qui si velint illas substantias naturales quæ domino Physico se-
submittunt æquè absurdi sunt, quod si verò per naturalem sub-
stantiam intelligant eam, quæ ut in naturã & per naturam natu-
rantem sit, requiritur, tum rem largimur. 3. *Contra Timplerum*
*qui lib. 4. Met. c. 4. Prob. 11. Angelos compositas esse substantias absolu-
tè consideratas, simplices comparatè, imperitis imponit, non minus
insulsè quam absurdè. Insulsè quidem quod enim in se compo-
situm est, quomodo respectu alterius simplex erit? Numquid Tim-
plero respectus quidam diversus rem mutat? Numquid res per se
& in se composita, per respectum ad aliud etiamsi id magis vi-
deatur ex aliis conflatum, amittit suam compositionem & induit
simplicitatem? scilicet Timplero magis & minus variabunt spe-
cies. Absurde autem, quum Angelos realiter compositos adstruit:
At quod realiter compositum est, non gaudet simplicitate indivi-
visibili: Angeli secundum Timpl realiter compositi. E. secundũ
eundem non simplices simplicitate indivisibili, quæ non nisi sub-
stantiis corporeis tribuitur absurda omnia. Modos compositio-
nis Timplerianæ, ejusdemq: rationes reservo parti speciali, quan-
do cum Deo pervenero ad Angelologiam. Porismata reliqua
charta non capit.*

Coll. diss. A. 13, misc. 32